filium meum antiochum regem qui
frequenter recurrens in superiora regna
uinculis eius commendabam. & scripsi
ad eum que subiecta sunt. Oro itaque
uos & peto memores esse beneficiorum
publice & priuatim. ut unusquisque con-
seruet fidem ad me & ad filium meum.
Confido enim eum modeste & humane
acturum. & sequentem propositum
meum: communem uobis fore. [VI]
Igitur homicida & blasphemus pessime
percussus. & ut ipse alios tractauerat
peregre in montibus miserabili obitu
uita functus est. Transferebat autem
corpus Philippus collactaneus eius.
Qui metuens filium antiochi. ad ptho-
lomeum filometorem in egyptum abiit.
Machabeus autem & qui cum illo erant
domino se protegente templum quidem
& ciuitatem recepit. aras autem quas
alienigene per plateas struxerant. itemque
delubra demolitus est. Et purgato
templo aliud altare fecerunt. & de
ignitis lapidibus igne concepto ob-
tulerunt sacrificia post biennium.
& incensum & lucernas & panes pro-
positionis posuerunt. Quibus gestis
rogabant dominum prostrati in terram.
ne amplius malis talibus inciderent.
Sed & si quando peccarent. ab ipso
mitius corriperentur & non blasphemis

menti. qui fuit casleu. Et cum leti-
cia diebus octo egerunt in modum
tabernaculorum: recordantes quod ante
modicum temporis diem sollempnem
tabernaculorum in montibus & speluncis
more bestiarum egerant. Propter quod
tyrsos & ramos uirides & palmas prefere-
bant ei. qui prosperauit mundari lo-
cum suum. Et decreuerunt communi
precepto & decreto uniuerse genti
iudeorum. omnibus annis agere dies istos.
Et antiochi quidem qui [VII]
appellatus est nobilis. uite
excessus ita se habuit. Nunc
autem de eupatore antiochi filio im-
pii. que gesta sunt narrabimus: breui-
antes mala que in bellis gesta sunt.
Hic suscepto regno. constituit super
negocia regni lysiam quendam fe-
nicis & syrie militie principem.
Nam ptholomeus qui dicebatur macer:
iusti tenax erga iudeos esse instituit.
& precipue propter iniquitatem que fac-
ta erat in eos: & pacifice agere cum
eis. Sed ob hoc accusatus ab amicis
apud eupatorem. cum frequenter
proditor audiret. eo quod cyprum
creditam a filometore deseruisset & ad
antiochum nobilem translatus etiam
ab eo recessisset. ueneno uitam finiuit.
Gorgias autem cum [VIII]